
**Q. Horatii Flacci Carmina, Recens. Et in Ordine Metrorum
Dispertivit G.J. Aislabie (Italian Edition)**

Flaccus Quintus Horatius

Title: Q. Horatii Flacci Carmina, Recens. Et in Ordine Metrorum Dispertivit G.J. Aislabie (Italian Edition)

Author: Flaccus Quintus Horatius

This is an exact replica of a book. The book reprint was manually improved by a team of professionals, as opposed to automatic/OCR processes used by some companies. However, the book may still have imperfections such as missing pages, poor pictures, errant marks, etc. that were a part of the original text. We appreciate your understanding of the imperfections which can not be improved, and hope you will enjoy reading this book.





J.H. 1826.
Q. HORATHI FLACCI

CARMINA

RECENSUIT

ET IN ORDINE METRORUM DISPERTIVIT

GUL. JAC. AISLABIE, A.M.

**LUDI LITERARII APUD SEVENOAKS OLIM DISCIPULUS POSTEA
AUL. PEMB. CANTAB. ALUMNUS.**

LONDINI:

SUMPTIBUS AUCTORIS;

VENEUNT APUD BIBLIOPOLAS OMNES.

1826.

145.



LONDINI:
Typis A. & R. Spottiswoode,
New-Street-Square.

ALMÆ MATRI

ACADEMIÆ CANTABRIGIENSI,

CARMINA HÆC HORATIANA

GRÆCO FONTE DERIVATA

AD ITALOS DEDUCTA MODOS


CURÆ TESTIMONIUM

PROMERUISSE CONTENTUS

D. D. D.

GUL. JAC. AISLABIE, CLER. A.M.,

RECTOR PAR. HOLYWELL CUM NEEDINGWORTH,
COM. HUNTINGD.



ODE.


GENTIS refulgens gemma Britannicæ,
O alma mater, lumen et alterum,
Insigne lenimen dolorum
Hæc precor accipias benignè.
Diris podagræ eheu ! cruciatibus 5
Et rheumatismi fervidus ardeo,
Infirma sub corpus gravatum
Genua labant trepidantque crura.
Camœna quod fert Stesichori grave,
Vel luctuosum Musa Simonidis, 10
Prædulce si quidquam renidet
Æoliæ fidibus puellæ;
Alcæus olim si cithara minax,
Vel molle si quid lusit Anacreon,
Princeps Poetarum lyræque 15
Noster in Italiam revexit.
Laurea donandus Apollinari,
Seu canit Divos atavosve Reges,
Inclytum heroa, aut equitem superbum
Pindarus alter. 20
Sive Mæcenatis amicus altæ
Vult frui fumo strepituque Romæ,
Seu nitet mensa tenui salinum
Rure paternum.

Seu voluptati dare fræna gratæ Optat, et vitæ breve tempus urgens, Lætus instantem capit, adfuturæ Immemor, horam.	25
Est, cum non veteris pocula Massici Spernens, jam roseæ Phyllidis oscula Captat, jam teneram quærit amabilem Nigro crine Lycorida.	30
Sed mihi Musa levis tantas depingere dotes, Virgiliana opus est.	
Tale tuum carmen nobis, divine Poeta, Quale sopor fessis in gramine, quale per æstum Dulcis aquæ saliente sitim restinguere rivo. Dum juga montis aper, fluvios dum piscis amabit Dumque thymo pascentur apes, dum rore cicadæ Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt, Ingeniumque capax, O jucundissime Horati.	35 41
Matre vagus puer, et juvenis custode remoto, Maturusque annis, senioque oppressus inermi, Hæc tua pectoribus memores præcepta recondent. Pellere tristitiam, curas deponere inanes,	45
Iræ atque invidiæ motos componere fluctus, Nec frangi adversa nec sorte tumere secunda, Nil conscire sibi, nihil undique credere felix, Per varios casus, per tot discrimina rerum Ferre metu vacuum vilique cupidine mentem.	50

LECTORI BENEVOLO.

PAUCIS te volo. Textu viri doctissimi Mitscherlichii^a usus, ad finem paginae uniuscujusque quatenus ab editione Vulgata et Bentleiana differt notis subjeci. Carmina secundum metri varietates dispertivi, ut ordine continuo undeviginti metra conspicias. Scansione praeposita, interpunctioni faciendae sedulam dedi operam. Vale, et ex tribus quam velis lectionem elige.

^a Lipsiae, 1800.



Q. HORATHI FLACCI

VITA

AUCTORE

C. SUETONIO TRANQUILLO.

QUINTUS^a HORATIUS^b FLACCUS^c, Venusinus, patre, ut ipse quidem tradit, libertino^d et exactionum coactore, ut vero creditum est, salsamentario, cum illi quidam exprobrasset in altercatione “Quoties ego vidi patrem tuum brachio se emungentem?” Bello Philippensi, excitus a M. Bruto imperatore, tribunus militum meruit: victisque partibus, venia impetrata, scriptum quæstorium comparavit, ac primo Mæcenati, mox Augusto in gratiam insinuatus, non mediocrem amborum amicitia locum tenuit. Mæcenas quantopere eum dilexerit satis demonstratur isto epigrammate:

“Ni te visceribus meis, Horati,
Plus jam diligo, tu tuum sodalem
Ninnio videas strigiosorem.”

^a Ser. 2. 6. 42.

^c Epod. 14. 12.

^b Epist. 1. 14. 5.

^d Ser. 1. 6. 45.